

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Atlas minor Gerardi Mercatoris**

**Mercator, Gerhard**

**Amsterodami, 1610**

Flandria comitatus

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

## Flandriæ Comitatus.

314

*Regio.  
Unde dicta.*

**F**landria nomen quamvis non magnæ antiquitatis nulla tamen ejus certa ratio reddi potest. Sunt, qui ab urbe ejus nominis appellationem deducant, sita ubi nunc Ardenburgum; sunt qui a Flandberto Filio Blefindæ, quæ Soror fuit Clodionis, Regis Galliz: Vixit autem Flandbertus Anno Christi cccc. xlv. Sunt qui a Lyderici primi Comitris sponsa *Flandrina* nomen regioni datum arbitrantur. Sunt

*Situs.*

qui a flatu & fluctibus, quorum magna ob vicini Oceani impetum vis huic terræ incumbit. Adeo ut etiam anno mccc. xli. in agrorum censu venditioneque caveretur, ut si intra annos x Mare in ea loca exæstnaret, casus irritusque esset contractus. Ego rem in medio relinquo. Ejus hodierni limites sunt, ad Austrum Artelia cum Hannonia, & parte Picardiæ. Ad Ortum Hannonia & Brabantia, ad Septentrionem Oceanus, cum Honta sive Ostio Scaldis, quod Flandriam a Zelandia determinat: ad Occasum Oceanus Britannicus sive mare Germanicum. Longitudo patet itinere tridui, a Scaldi scilicet contra Antverpiam, usque ad Novam Fossatum mill. pass. xxx. Latitudo est mill. pass. xx. Aër Regionis totius est temperatissimus: Ager fertilis, potissimum qua Oceano & Galliz est vicinus. Pasua læta, cujus rei argumentum est, quod pulli equini ex vicinis regionibus in Flandriam quotannis delati ab Equisonibus, solcant pabuli bonitate, Aëris suavitate, ex strigosis & macilentis reddi generosiores. Alit item varia Animalia domestica, saporis delicati & exquisiti: nec non Ferarum copiam pene incredibilem. Nec desunt Aves cum aliæ: tum Phasiani, Perdices, Pavones, Ardeæ, Ciconiæ. Regionis Incolæ ita olim bello addicti fuere, ut quieti pacative vix unquam viverent: ac Syriam etiam, Terramque Sanctam, ac Hierosolimam, eorum arma pervaderent. Urbes in Flandria numero ac fossa cinctæ sunt xxx.

*Aëris temperies.*

*Soli fertilitas.*

*Animalium varietas.*

*Gandevum, Bruga, Ypra, Insula, Duacum, Tornacum, Contracum, Aldenda, Alostum, Hulsta, Teneramunda, Bisfietum, Neoportum, Slusa, Dunkercka, Gravelinga, Bierburgum, Dammm, Dixmuda, Furna, Ardenburgum, Ninova, Berga, Gerardimontium, Castellum, Donza, Orchianum, Lanoyum, Axella & Oostenda.* Præter has sunt etiam Municipia patentia quæ urbibus neque nobilitate, neque privilegiorum dignitate, neque structuræ magnificentia, neque frequentia municipum cedunt: *Bella, Poperinga, Hondscota, Ecclœa, Gistella, Middelburgum, & alia viginti.* Pagi in universum m. cliv: ut non immerito triviali proverbio dicatur, Flandriam omnes totius Christiani Orbis Comitatus superare, & Hispani quum in hanc Provinciam cum Philippo Rege venirent, judicaverint totam Flandriam continuam urbem esse. Hodie universa intres partes dividitur, Teutonicam, Gallicam & Imperialem. Primaria urbs est *Gandevum*, conditum vulgi opinione, tum Historicorum omnium recentiorum consensu (nam veteres de eo silent) tum Petrachæ aliorumque judicio, a C. Julio Cæsare, quum in Morinis ageret. Enimvero Gordunorum meminit C. Cæsar lib. v. Com. de Bello Gallico. Postea a Wandalis dicta est *Wanda*, & litteræ primæ mutatione *Ganda*: ut Walli, Galli: hinc *Gandavum*: vernacule dicitur *Gend*, Italis *Gueto*, Gallis *Gand*. Situm est quarto a mari lapide, quatuor fluminibus amoenissime irrigatur. Scaldim enim ex Hannonia, *Lisum* ex Artelia, *Levia* ex portu Slufano, *Moerã* ex quatuor Officiis quas *Ambactas* vocant, accipit.

*Urbium nomina.*

*Præterea*



Præterea Alveum habet manufactum magnorum etiam navigiorum patientem, per quem præter prædicta flumina quantam omnium rerum ab omni Orbis parte accipiat copiam, incredibile dictum est. Ex his enim in Mare patet via per alveum sive Aquæductum, qui se ad Ostium vulgo *l'Es*, in Oceanum exonerat cataractis ad hanc rem stupendo artificio exstructis. Decem milliariibus distat Antverpia, totidem Brusella, Mechlinia, Middelburgo. Ambitus intra muros est 45640 pedum Romanorum: hoc est Italicorum milliariarium septem. Insulas habet xxvi. Pontes majores, xcii. Molas aquarias 1v. Trufatiles infinitas: centum quæ vento aguntur. Ecclesias in universum lv. Abbatis v. Cives hujus civitatis frequentia, nobilitate, opibus, animis sunt eximii. Hæc *Carolus v* Imperatorem Orbi dedit. Hæc litteris *Judocum Badium, Johannem Cornarium, Levinum Brechtum*, & alterum *Levinum Torrentium*, *Baldunium Renseum, Urebrivium*, aliosque protulit. Opificiorum genera in hac urbe lxx. Textorum præterea ordines xxvii instituti primum a Comite Baiduino, filio Arnoldi Magni, Anno 1300. *Brugæ (Brugge)* vel a pontium frequentia nomen habent, vel a ponte *Brugstock* juxta Oldenburgum & Ardenburgum, & quarum urbium ruinis ante annos 1300. prima arx Brugenensis exstructa est; sita est tertio milliari a Mari loco plano. Ambitus intra muros est 26600 pedum Romanorum, hoc est Italicorum mill. quatuor cum dimidio. Urbs est non Flandriæ tantum, sed etiam totius Belgicæ amoenissima: templa habet lx, quorum præcipuum & augustissimum est S. Donatiani, olim sacrum B. Virgini, exstructum a Liderico primo Flandriæ Comite, anno 1000. Opibus in tantum floruit, ut Ioanna uxor Philippi Pulcri quum huc venisset Anno 1500. vidissetque virginum & matronarum ornatum, stupore primum, postea muliebris æmulationis cæstro percita, conquesta sit, non se solum reginam esse. Opificiorum genera exercentur lxx. Et in hac rerum copia neque flumen habet, neque Portum neque fontem. Fossæ est humana ducta industria, ipsi *Reye* vocant, quæ per totam urbem divisa, ad Slusam sese exonerat in Oceanum. Et quia hæc majoribus navigiis nondum sufficiebat, aliam in longe majorem altitudinem perduxerunt, oppositisque Cataractis a Mari discluserunt. Sunt & hujus urbis Cives bello, imperio, literis celebrati. Tanta etiam olim hujus urbis in mercaturis potentia fuit, ut cum quavis alia totius Europæ urbe conferri posset. Brugeses primi Cassiterides (Hispanis *Agua*) Insulas in Oceano invenerunt, quæ propterea *Flandrica* vulgo dicuntur: iidem Bursam primi Mercurio sacram habuerunt, a qua postea Antverpiæ, Rhotomagi, Londini, & in aliis urbibus mutatis rerum vicibus loca mercatorum conventui destinata nomen traxerunt. *Ypra* a rivulo *Ypra* præterlabente dicta, vulgo *Yperen*, anno 1000. condita est. Hujus urbis fundus dicitur esse plumbeus, idque propter magnam plumbeorum tuborum vim, quibus aqua varje per Civitatem universam distribuitur. Atque hæc quidem sunt Urbes primariæ. Portus sequuntur: *Slusa* a Cataracta nomen habet, quæ Flandris vocatur *Sluys*, urbs est maritima: Portum habet capacissimum, quo quingentæ naves commodissime recipi possunt. Ex adverso est Insula *Cadsant*, Georgii Cassandri patria. *Ostenda* ad Oceanum sita, obsidione Archiducis Alberti gravissima, quam ad annos tres & aliquot menses fortissime sustinuit, ac innumeris pæne utrinque casis, nobilis. *Neopontus* (*Nieuport*)

(*Nieuport*) tertio ab Oostenda milliari, urbs est maritima, patria *Jodoci Clichthovei*, cui proxima est Abbatia *S. Bernhards*, in qua Bibliotheca olim totius Belgii instructissima & celeberrima. *Dunckerk* exstructa anno *CLXXVI* a Balduino Arnoldi F. Flandriæ Comite, Portum habet brevem admodum & Mari vicino infestum. Urbis jurisdictione pertinet ad Regem Navarrae. Reliquas urbes Flandriæ Teutonicæ prætereo. In Flandria vero Gallica est *Insula* a veteri positione ita dicta, erat enim stagnis & paludibus cincta: urbs frequentia civium, opibus, legibus ornatissima, & quidem post Antverpiam & Amstelodamum potentissima. *Dunacum* (*Douay*) ad Scarpam fl. ubi olim *Casaces*, patria est *Roberti Gaguini*. Academiam habet paucis abhinc annis a Philippo II Hispaniarum Rege ibi constitutam. *Orchianum* (*Orchies*) etiam in hoc tractu est, & *Lamoyum* celebre dominis & cive *Francisco Raphaelengio*: præterea *Espinoyum*, *Armentiers* & *Tornacum*, *Tournay*. In Imperiali Flandriâ est *Alostium*, Civitas ampla & munita ad Teneram fl. Comitatus titulo insignis. Pagos sub se habet *CLXX*. Principatus II, *Steenhusensem* & *Gaverensem*, Baronatus complures: Territorium etiam *Wafia*, cujus quatuor sunt opida: *Hulsta*, *Axela*, *Bochoute* & *Affenede*. *Rupelmonda* ad *Rupelam* fl. arx est, hoc loco minime omittenda, vel propter *Gerardi* nostri *Mercatoris* Illustrissimi Mathematici & Cosmographi, ac nostri seculi *Ptolemæi*, memoriam. Flumina sunt *Scallis*, *Lisa*, *Tenera*, *Livia*, *Ypra*, *As*, *Scarpa*, *Rupela* & alia: Montes perpauci: sed Silvæ plurimæ eæque valde utiles, inter quas *Niepensis* & *Nonnensis* principes. Status vero Politicus Flandriæ, tribus constat Membris: Primum Membrum, *Prelati Ecclesiastici*, qui sunt, *Ordinis S. Benedicti Abbates* VII: *S. Peter* & *S. Baefs* Gandavi, *S. Winnoek* in Bergen, *S. Andries*, *S. Peter Aldenardæ*, *Ename*, *Marchienne*. *Ordinis S. Bernardi Abbates* V: *ten Dunen*, *Boudeloo*, *Doest*, *Clammere*, *Marchienne*: & *Prioratus* in *Waerschoot*. *Ordinis Præmonstratensis Abbates* III: *S. Nicolaes* in *Vuerne*, *Drongene*, *S. Cornelis* in *Nienove*. *Canonicorum Regularium Abbates* VI: *Echoute*, *Soetendale*, *Warneston*, *Sumbeke*, *Cysoing*, *Falenpijn*. Eiusdem Ordinis VI: *Præpositura* *S. Marten* in *Iperen*, *Wormesele*, *Watene*, *Loo*, *Eversam*, *Petendale*. Secundum membrum, *Nobilitas*, in qua *Viccomitatus* V: *Gendt*, *Iperen*, *Vuerne*, *Bergen*, *Haerlebeke*. *Principatus* III: *Steenhuse*, *Gavere*, *Espinoy*. *Barones* IV, II in Comitatu, *Cysoing* & *Heyne*: II in Dominio, *Pamels* in *Oudenarde* & *Boelare*. *Tribuni militares*, *Banderheerē*, in Comitatu Teutonico *Dominus de Nevele*, *de Dixmude*, *D. de Beveren*, *de Praet* prope *Brugas*: *Haeskercke*, *Watene*, *Heverghem*, *Waestine*, *Caecken*, *Ingelmunster*, *Pouke*, *Gruihuse*, *Male*, *Maldegem*, *Oostcamp*, *Winendale*, *Colscamp*, *Ghijstele*, *Sevecote*, *Rousselare*, *Waestene*, *Hondscote*, *Cassel*, *Nortvrie*, *Haeskerck*, *Halewyn*. In Comitatu Gallicano, *Castellanus de Lille*, *D. de Waurin*, *D. de Comene*. In Dominio Flandriæ *D. de Rode*, *D. de Gavere*, *Sotteghem*, *Gontero*, *Scorisse*, *Poitz*, *Liekercke*, *Lumbeke*, *Raiselā* in *Meerbeke*, *Wedergraet* in *Neyghem*, *Steenhuse*. Tertium membrum sunt præcipuæ Civitates. In Flandria Teutonica IV præcipuæ Civitates hoc membrum repræsentant, *Gandavum*, cujus sortem sequuntur, in Comitatu *Burgaviatus Gandensis* & *Castellania Cortracensis* ac *Oudenarde* & *Bieroliet*. In Dominio quædam sunt Feuda Imperii, ut IV *Ambachten*, *dat Landt van Waes*, & *Graefschap van Aelst*, ac alia libera dominia, ut *Bornhom*, *Denderwoude*, *Geerdsberge*. *Bruga*, cujus sortem sequuntur in Censu & Armis, quæ sunt post IV officia,

usque ad Nieupoort, totus videlicet *Franconatus* (*t'Vrie*) Opida ejus clausa & non clausa. *Tpra*, ad quam referuntur in Censu & Armis, *Tperen-Ambacht*, *Bellen-Ambacht* & *Cassel-Ambacht*: *Franconatus Campestris* (*Heplatte Vrie*) cujus sortem sequuntur in Censu & Armis *Vuern-Ambacht*, *Bergen-Ambacht* & *Broucborg-Ambacht*. In Gallicana III civitates principales *Lille* (*Ryffel*) *Douay*, *Orchies*. *Tornacense* *Dominium* & *Status* *Flandriæ* adnexus, per se constat tribus membris: *Ecclesiastico*, *Nobilitate* & *v* *Supremis* *Iustitiis*. Vnum vero habet *Flandria* *Episcopum Tornacensem*, *Archiepiscopo* *Remensi* subiectum, in *v* tamen *Dioeceses* *Episcopales* *divisa* est. *Trajectensi* subsunt *IV* officia, *Hulst*, *Axele*, *Affenede*, *Bochoute*. *Tornacensi* subsunt, *Gandava*, *Contracum*, *Aldenarde*, cum illarum *Castellaniis*: *Waes* *territorium*, *Bruga*, *Franconatus* & *Insula* cum sua *Castellania*. *Atrebatensis* comprehendit *Duacum* & *Orchianum*. *Cameracensi* subest *Dominium* *Flandria* *ultra* *Scaldim* *versus* *Meridiem*. *Tarvanensis* habet *Castellanas* *Tpram*, *Cassel*, *Vuerne*, *Bergen*, *Broucborg*, *Belle*. In *Flandria* *Teutonica* sunt *XIV* principales *Curie* *Comiti* *feudales*, *Viesburg* *Gandava*, *Burgus* *Brugis*, *Sala* *Tpra*, *Castellum* *Contraci*, *Curia* *in* *Harlebeke*, *in* *Tielt*, *Domus* *in* *Dcinse*, *Curia* *in* *Peteghem* *dicta* *Beu-lieu*, & *Domus* *Deinle* *subiecta*, *Tribunal* *Aldenarde*, *Burgus* *in* *Vuerne*, *Curia* *in* *Bergen*, *in* *Broucborg*, *in* *Cassel* & *in* *Belle*. In *Flandria* *Gallicana* sunt *III* *Curie* *Comiti* *feudales*, *Sala* *in* *Lille*, *Castellum* *in* *Douay*, *Curia* *in* *Orchies*. In *Flandriæ* *Dominio* sunt *IV* *Curie* *Comiti* *feudales*, *Tribunal* *in* *Aelst*, *Domus* *in* *Dendermonde*, *Prætorium* *Wassæ* *apud* *S. Nicolaum*, & *Castellum* *Beveren*. Ex omnibus *Curis* & *Jurisdictionibus* *dictis* appellatur ad *Consilium* *Principis* *provinciale*, quod est *Gandavi*, inde ad *Parlamentum* quod est *Mechliniæ*. Sed de his satis: ad *Brabantiam* transeo.

## DUCATUS BRABANTIAE.

Regio.  
Unda dicta.

**B**rabantia maxima parte *Aduaticorum*, *Ambivaritorum* & *Tungorum* *regionem* *complectitur*: *cæterum* *quonam* *tempore* *Regio* *hæc* *Brabantia* *nomen* *nacta* *fit*, *plane* *incertum* *est*: *aliis* *a* *Brenno* *Gallo* *dedicentibus*, *aliis* *ab* *urbe* *quadam* *eiusdem* *nominis*, *cujus* *neque* *in* *terris* *neque* *in* *historiis* *vestigium* *nilum*: *aliis* *a* *Bratuspandio* *Opido* *Bellovacorum*, *cujus* *meminit* *Cæsar* *lib.2.* *Alii* *novum* *Ducem* *committuntur* *Salvium* *Brabonem* *Arcadem*, *qui* *cum* *Cæsare* *in* *Belgicam* *profectus* *est*, *cujus* *uxor* *Suana* *Cæsaris* *Neptis*. *Sunt* *etiam* *qui* *a* *Gotefrido* *Barbato* *Comite* *Lovaniensi* *Barbantiam* *postea* *Brabantiam* *dictam* *suspiciantur*: *Nomen* *sane* *nuperum* *est*: *quod* *ut* *certo* *constat*, *ita* *origo* *ejus* *non* *constat*. *Longitudo* *Brabantia* *a* *Gembloers* *ad* *D. Gertrudis* *usq;* *sacrum* *Montem* *est* *milliarium* *circiter* *XXI* *I*. *Latitudo* *ab* *Helmontio* *Bergas* *usque* *xx*. *Ambitus* *LXXX*. *Habet* *a* *Septentrione* *Mosam* *fluvium* *quo* *Geldria* *&* *Hollandia* *separantur*. *A* *Meridie* *Hannoniâ*, *Comitatu* *Namurci* *&* *Episcopatum* *Leodiensem*, *qui* *etiam* *ad* *Ortum* *fines* *ejus* *tangit*. *Ab* *Occasu* *est* *Scaldis* *cum* *Comitatu* *Alostensi*. *Regio* *gaudet* *Aëre* *salubri*, *planitie* *fertili*, *Frugum* *inprimis* *feracissima*, *tametsi* *Campania* *sive* *Campinia* *de* *Kempen*, *ob* *arenas* *sit* *sterilior*. *Quæ* *tamen* *pars* *non* *omnino* *infertuosa* *existit*. *Urbes* *hujus* *Ducatus* *sunt* *XXVI*. *Lovanium* (*Loven*) *antiquissima* *est*, & *prima* *Grudiorum* *sedes*, *in* *qua* *Dux* *publico* *Sacramento* *se* *obstringit*: *Comitatus* *quo* *nam* *titulo* *insignita*. *Urbs* *est* *amœna* *prolatu* *aliquoties* *pomœtiis* *extensa*; *ejus* *ambitus* *intra* *muros* *est* *quatuor* *mill. pass.* *Fluvio* *irrigatur* *Dela*.

Situs.

Aëris temperies.  
Soli fertilitas.

Brabantia